









1743.

1<sup>o</sup> et<sup>o</sup> Brunnus, Carolus Balduinus: De usus fructus parentum in bonis liberorum tam de jure Romano quam Germanico genuino fundamento. 2 Scapl.

2. Brokes, Henricus: Prograe premissae: De jure postlimii hostibus dicto et in patriam redunti non competente, cum ... propositio nem juris utriusque Germaniae ... aggrederetur

3. Buderus, Christianus Gottlieb: De communione Imperialis in causis Gentilibus

4. Buderus, Christianus Gottlieb: De factis iuriis bellicis

5. Buderus, Christianus Gottlieb: De iusticiis duo decim. vizibilibus populorum Septembrianorum et Germaniarum.

6. Budeler, Christianus Gottlieb, procuramus fac. iur. Lenerius: De verbi: Reich Territoris adscripti significatione / sub que hoc argumenta ad nos. invenerat ... Tomus Christ. Friedmann Hummelii ... invitatus.

1743.

7. Dietmarus, Dr. Wilhelms: *De iure pedaneo.*  
8. 1<sup>st</sup> Engen, Dr. Rudolphus: *De honorificis sanctorum  
jubilis?* Sculp. 1743.
9. Heimburgius, Dr. Corp., Fac. iur. endecanus: *De iuris  
dictione in vasallum nondum investitam jure lessoni  
co competente? Programma, dissertationi in ang.  
Christoph Gunt. Ludov. Boecklen. . . praemissum*
10. Heimburgius, Dr. Corp.: *Programma, Ne iudice appel-  
lationis post introductionem desertae?; dissertationi in ang.  
Math. Christoph Gunt. Boeckleni  
. . . praemissum.*
11. Heimburgius, Dr. Corpus: *De iuri communis et Germani-  
cici differentiis in doctrina de fideicommissis.*
12. Heimburgius, Dr. Corp.: *Programma: De Compositio-  
ne iuri lignandi? Dissertationi in ang. Dr. Dr.  
nasti Schreckeri . . . praemissum.*

1743-

13<sup>4</sup> = Schepel, Jo. Augustus: *N. hypotheca nobiliss.*  
25 Septpl. 1743 - 1759

14. Löcher, Gottlieb Friedemann: *N. biblio Comitis Pal.*  
*Hinc Saxonie in libris Friderici et Amoris*

15 Schubackus, Joannes Ernestus: *N. gradibus prohibitio*  
*secundum ius naturae.*

1744.

1. Brokes, Henricus: *N. australis Scenistinorum*  
*Hannae Landgraviorum.*

2. Brueckmeyer, Githarus Christianus: *Ad 1.7 pr. 9.*  
*de do malo panca commentator, . . . Trachinus*  
*Georgis Tries . . . , quum demandatae vbi pro*  
~~feriori~~  
~~posteriori~~*manus . . . auspicaretur, pauca*  
*quæris ad precatum.*

1744.

3. Schen, Ezechiel : Ecclesia allegata equestri  
Lumburgensi in Circulo Francoico prope Halae  
Sierrorum.

D. 241



**HENRICI BROKES**  
IVRIVM DOCTORIS AC PROF. PVBL. ORDIN.  
NEC NON SCABINATVS ASSESSORIS  
**ORATIO IN AVGVRALIS**  
**DE**  
**LVBECENSIVM PATRIA**  
**EXTRA PATRIAM**  
**IN ACADEMIIS QVAESITA**  
EIDEM QVE  
PRAEMISSVM PROGRAMMA  
DE  
**IVRE POSTLIMINII HOSTIBVS**  
DEDITO ET IN PATRIAM REDE-  
VNTI NON COMPETENTE  
CVM  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM  
PROFESSIONEM IVRIS  
IN  
ACADEMIA IENENSI  
D. XXIII. DEC. 1515 CC XLIII.  
AGGREDERETVR.

IENAE,  
LITTERIS HORNIANIS.



HENRICI HERODES  
LUDOVICUS DE  
ORATIO IN AVGUSTA  
DE  
LUDOVICUS PATRIA  
EXTRA PATRIA  
ACADEMIA CAVENDISH  
TRALMISSUM LUGDVRAMA  
DE  
HISTORIA HISTORIAS  
PINDO ET IN LIBRARIIS  
ANTI NOV COMPTIBVS  
PROFESSIONEM TATIE  
IN  
ACADEMIA HENRICI  
DE XXX DIC 1515  
ACADEMIA HENRICI

PROGRAMMA  
IVRE POSTLIMITINII HOSTI-  
BVS DEDITO  
ATQVE  
IN PATRIAM REDEVNTI  
NON COMPETENTE.



**M**axima fuerunt apud Romanos ciuitatis, cum iure Quiritium coniunctae, iura. Quis ius libertatis, gentilitatis, connubii, quis ius census, militiae, suffragiorum, quis ius honorum atque sacrorum, quis alia ignorat iura? Eadem nemo amittet, nisi ipse esset auctor factus. *cic. pro domo c. 78.* Inde, licet quis per captiuitatem in seruilem detruderetur conditionem, omnia tamen ciuitatis Romanae iura pendeant, cum spes redeundi atque iura ista recipiendi subesset. *l. 32. § 1. ff. de hered. infit.* Idque ut iuris postlimitinii, quod nihil aliud est, quam restitutio iuris, per occupationem bellicam suspensi, in priorem statum. *l. 19. pr. ff. de captiu. & postlim.* Ipsa uox deriuatur a *limine & post.* Audiamus **CICERO-**

A 2

NEM,

NEM, hac de re in Topicis c. 8. ita differentem:  
Multa in disputando notatione eliciuntur ex uerbo, ut  
cum quaeritur, postliminium quid sit, non dico, quae  
sint postliminii: nam id caderet in diuisonem, quae  
talis est: postliminio redeunt haec, homo, nauis, mu-  
lus clittellarius, equus, equa, quae frena recipere so-  
let. Sed cum ipsius postliminiis quis quaeritur, & uer-  
bum ipsum notatur: in quo Seruus noster, ut opini-  
nor, nihil, putat, esse notandum, nisi POST: LIMI-  
NIVM illud productionem esse uerbi uult: ut in FI-  
NITIMO, LEGITIMO, AEDITIMO non plus in-  
esse TIMVM, quam in MEDITULLIO TULLIVM.  
Scaevola autem, P. F. iunctum, putat, esse uerbum,  
ut sit in eo & POST & LIMEN: ut, quae a no-  
bis alienata sunt, cum ad hostem peruerenterint, & ex  
suo tanquam limine exierint, dein, cum redierint post  
ad idem limen, postliminio uideantur redisse. Ni-  
hil uero intererit, utrum limen cum Imperatore  
de finibus imperii, §. 3. Inst. quib. mod. patr. pot.  
solu. an vero cum HEINECCIO Antiqu. Roman. I. 16.  
§. 4. de aedium parte interpreteris. Utraque in-  
terpretatio sensum habet idoneum. Priorem ta-  
men interpretationem praefero, partim, quia est  
legalis, §. 5. Inst. eod. l. 5. §. 1. ff. de captiu. &  
postlim. l. 19. §. 3. ff. eod. l. 30. ff. eod. partim, quia  
limen de finibus quoque imperii apud SICULVM  
FLACCVM, SERVIVM aliasque praedicatur.  
Conf. AEGID. MENAG. Amoenit. iur. civil. c. 39.  
Forma ipsius iuris postliminii consistit in rece-  
ptione prioris status atque iurium pristinorum,

per

per captiuitatem suspensorum. *I. 5. §. 1. ff. eod.* Sc. per occupationem bellicam personae pariter ac res in hostium potestatem rediguntur, ita, ut personae seruulis fiant conditionis, atque hanc ob causam iuribus suae ciuitatis uti nequeant, res uero dominio priorum dominorum eximantur. *§. 4. Inst. de iur. person.* *§. 17. Inst. de rer. diuis. & acqu. ips. domin.* *I. 5. §. 7. ff. de A. R. D.* Recuperantur uero pristina iura, captiui pariter ac rebus, ab hostium manibus liberatis. Fingitur enim, ac si, reuersus ab hostibus, captus non fuisset. *I. c.* Nata inde fictio iuris postliminii, qua, ex captiuitate reuersus, semper in ciuitate fuisse fingitur. *§. 5. Inst. quib. mod. ius patr. pot. solu.* *I. 16. ff. de captiu.* Durante itaque captiuitate, iura captiui suspensuntur, cum ex futuro demum euentu illa dependeant. *I. 22. §. 2. ff. eod.* Sic status librorum pendet, *V LPIAN. X. 4. §. 5. Inst. quib. mod. ius patr. potest. solu.* ita, ut filio, quam diu pater apud hostes in uiuis est, tutor dari nequeat, *I. 6. §. 4. ff. de tutel.* ut in casu, quo filius patris captiui mutuam pecuniam accepit, incertum sit, utrum SCtum Macedonianum locum inueniat, nec ne. *I. 1. §. 1. ff. ad Sct. Maced.* Sic reliqua iura pendent. Finita uero captiuitate, reuersus omnia pristina iura, exceptis iis, quae in facto consti-  
stunt, recipit. *I. 19. pr. ff. de captiu. & postlim.* Sic patriam recuperat potestatem, *CAI. Instit. I. 6. §. 2. VLPIAN. X. 4. §. 5. Inst. quib. mod. ius patr. pot. solu.* bona, a filio medio tempore acquisita, iure

peculii occupat, licet filius iam decesserit, l. 15.  
ff. de suis & legit. hered., aliaque sibi vindicat iura.

Gaudent hoc iure postliminii illae saltem personae, quae ab hoste detinentur. l. 19. pr. ff. de captiu. Inde transfugae nullum est postliminium, quia malo consilio & proditoris animo patriam reliquit, atque sic hostium numero habendus est. l. 19. §. 4. ff. eod. Simili ratione is, qui hosti se dedit, perinde ac is, qui sua voluntate apud hostes manet, hoc priuilegium allegare nequeunt. l. 17. l. 20. pr. ff. eod. Porro is, quem populus uendidit, nullo utitur postliminio. Si enim populus eum uendat, qui miles factus non est, iudicat, non esse eum liberum, qui, ut liber sit, adire periculum noluit, &, si incensum uendat, iudicat, eum, qui, cum liber esset, censeri noluit, ipsum sibi libertatem abiudicasse, quia is, qui in seruitute iusta constitutus est, censu liberatur. CIC. pro Caecinn. c. 34. Quid? quod is, qui a populo Romano hosti deditus, nullum habeat postliminium. l. 4. ff. de captiu. Solebant Romani plus uice simplici unum alterumue, causam publicam uiolantem, hostibus dedere. Factum hoc est in casu legatorum pulsatorum. l. 17. ff. de legat. Hoc modo L. MINVCIVS MYRTILVS & L. MANLIVS, Carthaginem suum legatis manus inferentes, iussu M. CLAVDII, praetoris urbis, per feciales traditi sunt legatis, & Carthaginem aucti. LIV. XXXVIII. 42. VALER. MAXIM. VI. 7. Eadem ratione Q. FABIVS & CN. APRONIVS, qui legatos

tos Apolloniatum, ad senatum missos, laeserunt,  
dediti sunt genti, cuius legati offensi. LIV. Epit.  
**XV. VALER. MAXIM. VI. 7.** Factum idem est in  
casu omisso reditus, hostibus sub fide iuramenti  
promissi. Sic, cum unus ex decem Roma-  
nis, ad senatum missis, minime Romani ingenii  
homo, uelut aliquid oblitus, iurisurandi sol-  
uendi causa in castra redierit, atque deinceps Ro-  
mam ueniens ibidem, reliquis reuersis, permane-  
re decreuerit, quod fallaci reditu in castra iure-  
iurando se exsoluisse, omnia Senatus membra  
censuerunt, comprehendendum &, custodibus pu-  
blice datis, deducendum ad Annibalem esse. LIV.  
**XXII. 6. GELL. VII. 8.** Factum denique illud est  
in casu pacis, cum hostibus, inscio senatu po-  
puloque Romano, factae. Scilicet foedera pacis  
publica Senatus populique Romani auctoritate fie-  
bant, impetrata foedus contrahendi potestate.

LIV. I. 24. Nam iniussu populi nihil sanciri po-  
terat, quod populum tenebat. LIV. IX. 9. Ab  
his differebant sponsiones, quae a duce belli pri-  
uata auctoritate fiebant. LIV. IX. 5. Eaedem po-  
pulum Romanum haud obligabant, quippe qui,  
si pacis conditiones displicerent, ab iisdem rece-  
dere poterat. Ne tamen circa sponsiones, pu-  
re factas, quid diuini humanique obstaret, quo  
minus de integro ineatur bellum, auctores spon-  
sionis hostibus dedebantur. Id quod ad officium  
Fecialium pertinebant, qui non modo sponsio-  
nem, pure factam, dissoluebant, uerum etiam il-

lius

lius conditores hostibus solenni tradebant ritu.  
Hi enim, ubi ad portam uenere, uestem detra-  
hi pacis sponsoribus iubebant, manusque post ter-  
gum uinciri. Postquam in coetum hostium uen-  
tum erat, unus ex facialibus, quorum praeses  
pater patratus dicebatur, sic uerba faciebat: *Quan-*  
*doquidem bice homines iniussu populi Romani Quiriti-*  
*um foedus ictum iri spouonderunt, atque ob eam rem*  
*noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Roma-*  
*nus scelere impio sit solutus, hoste homines nobis dedo.*  
**LIV. IX. 10.** Sic, sp. POSTVMIVM una cum reliquis  
pacis Caudinae sponsoribus hostibus dedi, Senatus  
decreuit. **LIV. IX. 10. CIC. Offic. III. 30.** Sic M. CLO-  
DIVS Corsi ob turpem, cum his initam, pacem de-  
ditus est. **VALER. MAX. VI. 3.** Sic etiam c. HOSTI-  
LIVS MANCINVS, propter iniuidiam Numantiae  
sponzionis ex SCto Numantinis traditus, legitur.  
**CIC. de Orat. I. 40. II. 32. in Top. c. 8. pro Caecinn.**  
**c. 34. Offic. III. 30. LIV. Epit. LVI.** Facta deditione,  
populus Romanus se ab omni obligatione, si ulla  
adesse potuerit, liberatum iudicabat. **CIC. pro Caecin-**  
**n. c. 34. LIV. Epit. LVI.** Poteris hanc deditio-  
nem passiuam nominare, quo eam a deditione  
activa, de qua PAVLVS in l. 17. ff. de captiu. lo-  
quitur, distinguas. Actiuia est actus, quo ali-  
quis sponte se arbitrio alterius committit. Pas-  
siua est actus, quo ciuitas ius, quod in ciuem  
suum habet, tradendo illum ciuem alteri conce-  
dit ciuitati. Illa fit a consentiente; haec in in-  
uiatum quoque peragitur. **Conf. GROT. II. 21. 4. 1.**

&amp;

& PVFEND. de I. N. & G. VIII. II. §. 9. Passiuua deditioне facta, quaeritur, an is, quem pa-  
ter patratus dedidit, si reuertatur, ius ciuitatis  
recipiat? Certum est, hostibus deditos, si rece-  
pti fuerint, ius ciuitatis amittere, cum fiant ser-  
ui hostium. Nam deditus & acceptus est eorum,  
quibus est deditus. CIC. pro Caecina c. 34. Popu-  
lus quoque Romanus eo ipso, quo aliquem de-  
dit, ab usu iuris ciuilis effectuum istum exclu-  
sisse uidetur. l. 17. ff. de legatione. Inde, si reuerta-  
tur deditus, iure postliminii pristina Romanae ci-  
uitatis iura non recipit, nisi populus de nouo  
consentiat, atque reuerso ex noua uoluntatis de-  
claratione iura ciuitatis concedat. Pertinent huc,  
quaе MODESTINVS in l. 4. ff. de captiuo & post-  
lim. his adducit uerbis: *Eos, qui ab hostibus capi-  
untur, uel hostibus deduntur, iure postliminii reuerti,*  
*antiquitus placuit. An qui hostibus deditus, reuersus,*  
*nec a nobis receptus, ciuis Romanus sit, inter Bru-  
tum & Scaeuelam uarie tractatum est. Et consequens*  
*est, ut ciuitatem non adipiscatur.* Loquitur MODE-  
STINVS de reuerso, nec a gente Romana rece-  
pto, atque huic propter deficientem populi uo-  
luntatem ius postliminii denegat. Concludo,  
eum non, nisi ex noua populi uoluntate, priora  
ciuitatis iura posse recuperare. Alia plane ratio  
captiuorum, qui citra populi Romani uolunta-  
tem ab hostibus in seruitutem detruduntur, at-  
que sic iura ciuitatis, reuersi, iure postliminii  
citra

B

citra

citra nouum populi consensum recipiunt. Quid uero, si hostibus deditus, nec ab iisdem receptus, reuertatur, an hic ciuis Romanus permanfit, ita, ut circa nouam populi uoluntatem omnibus ciuitatis Romanae iuribus frui possit? Anxie hac de re in causa C. HOSTILII MANCINI disceptatum fuit. CIC. de Orat. I. 40. II. 32. in Top. c. 8. l. 17. ff. de legation. Scil. C. HOSTILIVS MANCINVS, Vir Consularis; cui sacrificanti pulli ex cauea euolauerunt, atque in nauim condescidenti, ut in Hispaniam, bellum contra Numantinos gesturus, proficeretur, accidit audi: *Mane, mane, Mancine, uictus est a Numantinis atque castris exutus, adeo, ut triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor profligarentur.* Cum spes nulla seruandi exercitus superefset, MANCINVS pacem cum Numantinis fecit, quam ratam esse, Senatus uetuit. LIV. Epit. LV. Hanc ob causam, accepta, quam L. FVRIVS & SEXT. ATTILIVS ex SCto ferebant, rogatione, CIC. de Offic. III. 30. hostibus a patre patrato est deditus. Cum uero hi illum non reciperent, LIV. Epit. LVI. domum redit, atque in Senatum introire non dubitat. Quo facto, P. RVTILIVS, M. filius, tribunus plebis, MANCINVM de senatu iussit educi, quod eum ciuem, negaret, esse, quia memoria sic esset traditum, quem pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. CIC. de Orat. I. 40. MANCINI

CINI causam in uno MANCINO haud ponamus,  
sed generatim quaeramus: uideaturne is , quem  
pater patratus hostibus dedit, si non sit receptus,  
iura ciuitatis habere , uel ad minimum eadem  
iure postliminii recuperare? Utrumque negandum  
esse, iudico. Amisit deditus iura ciuitatis eo ipso,  
quo populus aliquem hostibus tradendum censuit.  
Eo enim ipso populus istum ab usu effectuum iu-  
ris ciuilis exclusit. *l. 17. ff. de legation.* Nulla euen-  
tus subsecuti ratio habenda , utrum sc. tradendus  
ab hostibus receptus fuerit, nec ne. Nam de-  
ditio ista non solum ob liberationem ab obliga-  
tione , quae subesse credebatur , uerum etiam ob  
factum illicitum , quo aliquis citra consensum  
reip. cum hoste contraxit, hancque ob causam  
iuribus ciuitatis indignus habebatur , fiebat. Sic  
itaque deditus iura ciuitatis amisit , neque eadem  
iure postliminii ob declaratam semel populi de-  
excludendo reo uoluntatem , nisi ex noua illius  
uoluntate , recuperare poterat. Consentit me-  
cum PUBLIUS MUTIUS apud POMPONIVM ,  
qui in *l. 17. ff. de legation.* haec proferit: Si quis  
legatum hostium pulsasset , contra ius gentium id com-  
missum esse , existimat, quia sancti habentur legati ,  
& ideo , si , cum legati apud nos essent , gentis ale-  
cuius bellum cum iis indictum sit , responsum est , li-  
beros eos manere: id enim iuri gentium conueniens  
esse: itaque eum, qui legatum pulsasset , *Q.* Mutius  
dedi hostibus , quorum erant legati , solitus est respon-  
dere:

dere : quem hostes , si non receperissent , quaesitum est , an ciuis Romanus maneret ? quibusdam existimantibus , manere , alios contra : quia , quem , semel populus ius-  
sisset , dedi , ex ciuitate expulisse uideretur , sicuti fa-  
ceret , cum aqua & igni interdicaret : in qua senten-  
tia uidetur Publius Mutilus fuisse : id autem maxime  
quaesitum est in Hostilio Mancino , quem , Numantini ,  
sibi deditum , non acceperunt , de quo tamen lex posita  
lata est , ut esset ciuis Romanus , & praeturam quo-  
que gessisse dicitur . Meminit simul POMPONIVS  
legis cuiusdam , qua MANCINVS restitutus fuit .  
Sane , si MANCINVS iura ciuitatis haud amis-  
set , nulla publicatione legis opus fuisset . Neque  
ratio differentiae existit inter illum , qui lega-  
tum hostis pulsauit , & inter illum , qui pactum  
cum hoste citra populi Romani consensum pepi-  
git . Utroque casu adest factum illicitum , & sic  
utroque casu quis iuribus ciuitatis indignus decla-  
rari potest . Ex eodem fundamento non opus  
est , ut uocabulum noxae , quod in solenni dedi-  
tionis formula , iam supra in medium prolata ,  
occurrit , cum THOMASIO in *diff. de sponsione Ro-*  
*manorum Numantina* §. 53. in sensu accipiamus im-  
proprio . Neque opus est , ut cum eodem THO-  
MASIO l. c. §. 54. & 55. POMPONIVM , ceteroquin  
in explicanda iuris historia parum felicem , conf.  
*diff. meas de Pomponio , historiae Romanae ac littera-*  
*riae ignaro , erroris cuiusdam praeter necessitatem*  
*accusemus , aut loco Numantinae sponsionis , cu-*  
*ius*

ius in lege fit mentio , aliam plane sponzionem ,  
Caudinam scilicet , substituamus . Sed video , CICERO NEM , incomparabilem illum ICTUM , quem  
magni aestimare soleo , hic dissentire . Ipse enim  
in Topic . c . 8 . haec scribit : quo in genere etiam MAN-  
CINI causa defendi potest , postliminio rediisse : deditum  
non esse , quoniam non sit receptus : nam neque de-  
ditionem , neque donationem sine acceptione intelligi  
posse . Facillimum esset , CICERO NEM in meam par-  
tem uocare , si dicerem , eundem probabile fal-  
tem argumentum , quo MANCINI causa non fir-  
ma reddi , sed colorari posset , in medium pro-  
ferre uoluisse . Addam alium CICERONIS locum ,  
qui in orat . pro Caecinn . c . 34 . his occurrit uerbis :  
ut religione ciuitas soluatur , ciuis Romanus traditur :  
qui , cum est acceptus , est eorum , quibus est dedi-  
tus : si non accipiunt , ut Mancinum Numantini , re-  
tinet integrum causam , & ius ciuitatis . Et hic CI-  
CERO cum ea , quam defendimus , sententia fa-  
cillimo conciliari posset negotio , si adiiceremus ,  
deditum retinere iura ciuitatis , si populus de no-  
uo in receptionem consentiat , alias ipsum ea-  
dem amittere . At enim iudico , TULLIVM re-  
uera statuisse , hostibus deditum , & ab iisdem  
non receptum , salua habere ciuitatis iura , prae-  
fertim , cum de eodem iuris capite in utramque  
sententiam olim disceptatum fuerit . l . 4 . ff . de ca-  
ptiu . l . 17 . ff . de legation . Noto saltem , ipsius senten-  
tiā legibus , institutisque Romanorum esse

B 3

con-

contrariam. Noto, non cohaerere, si priori loco TULLIVS affirmet, MANCINVM postliminio redisse; posteriori autem loco afferat, hostibus deditum, si non accipiatur, integrum retinere causam. Si enim salua sit dediti causa, non indiget iure postliminii, quo concessio, iura per dditionem sunt remota. Noto denique, receptionem dediti non praecise ad effectum admendi turis ciuilis desiderari. Scilicet deditio uel de toto actu, qui inter dendentem & accipientem geritur, uel de nudo ipsius dendentis actu, acceptationi alterius populi opposito, accipitur. Illo sensu deditio sine acceptione intelligi nequit; bene tamen hoc sensu. Neque ualeat argumentum, a donatione ad dditionem tractum. Nam circa donationem res non simpliciter, sed in euentum subsecutae acceptationis transfertur. Ast circa dditionem pure ciuis ab usu effectuum iuris ciuilis excluditur. Idque, licet hic nondum ab hoste sit receptus. Quorsum dimissio ciuis, hostibus tradendi? quorsum detractio uestis? quorsum manus post tergum constrictio? quorsum formula solenni facta traditio? Scilicet, ut populus Romanus declaret, tradendum e tabula ciuum Romanorum suisse deletum. Siue ergo recipiatur ille, siue non, perinde erit, & sic Tullianum deficientis receptionis argumentum nihil praefidii tradendo affert. Concluendo potius, deditum, licet recusat, iura ciuitatis amississe, neque

que iure postliminii gaudere. Secus tamen est, si populus Romanus denuo in receptionem recusati consenserit, quo casu hic omnia pristina iura ex noua populi uoluntate recuperat. Id quod MANGINO contigit, prouti ex l. 17. ff. de legatione. apparet.

Octodecim praeterlapsi sunt anni, ex quo patriam, quam mihi nativitas Lubecae dedit, saluis ciuitatis iuribus, sponte deserui. Vita placebat Academica, qua tantopere delectabar, ut nunquam oculos ab isto uitiae genere deiicerem. Intentioni meae singulari diuini NVMINIS prouidentia, quam praedico, semperque praedicabo, respondit euentus, cum non modo in Academia Vitembergensi, cui DEVS benedicat, honoribus publicis admotus, uerum etiam nunc ad hanc Academiam, quae itidem omnibus cumulata bonis uigeat, illorum gerendorum gratia uocatus fuerim. Submissa mente ueneror singularem plane gratiam SERENISSIMORVM illustris huius Academiae NVTRITORVM, DOMINORVM Meorum clementissimorum, qui me peregrinum recipere, atque, datis Academiae iuribus, publicum iura docendi munus mihi demandare benignissime uoluerunt. Repeto, me SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS maximas amplissimis uerbis gratias & habere & agere, atque publice promitto, me, quantum cura, labore, uigiliis, consilio eniti atque efficere potero, nihil

hil praetermissurum , quod ad prouinciam illam  
ornandam ullo modo pertinere arbitrabor. Ne-  
que etiam aliter pro summa in me indignum col-  
lata gratia facere possum. Mentis gratae atque  
sincerae testis sit publica oratio , quam cras de *Lu-*  
*bicensum patria , extra patriam in Academias quaesi-*  
*sita , in publico eruditorum coetu habebo . A Vo-*  
*bis , PRO-RECTOR Academiae MAGNIFICE , CO-*  
*MES Illusterrime , Venerandi PATRES CONSCRI-*  
*PTI , CIVES omnium ordinum ac dignitatum ho-*  
*noratissimi , COMMITITONES Generosissimi Nobis-*  
*lissimique , omni , qua decet , animi obseruantia*  
*peto atque contendeo , ut huncce actum splen-*  
*dida Vestra praesentia ornare , ac ea , qua sole-*  
*tis , benignitate uerba mea audire , meque per*  
*futurum tempus uestro patrocinio , fauore ac*  
*amicitia dignum iudicare uelitis . P.P. Dom.*

IV. Aduentus c1500 CCC XLIII.



ORATIO

# ORATIO

QVOD DEVS IMMORTALIS SVMMVS  
STVDIORVM NOSTRORVM FAVTOR AC AVCTOR  
BENE ATQVE FELICITER EVENIRE IVBEAT  
PRO-RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE  
VENERANDI PATRES CONSCRIPTI  
AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORA-  
TISSIMI  
TV DENIQUE, SPES PATRIAЕ, AMOR ATQVE  
DELICIVM MEVM. TV, INQVAM, FLOREN-  
TISSIMA ERVDITISSIMORVM IVVE-  
NVM CORONA.

A ccedo consilio, auctoritate, sententia SERE-  
NISSIMORVM huius Academiae celeber-  
rimae NVTRITORVM, DOMINORVM  
Meorum clementissimorum, ad hanc illustrem Mu-  
sarum sedem, eruditissimis hominibus, liberalissimis  
que studiis affluentem, benignissime demandatum  
munus sub auspiciis diuini NVMINIS in me suscep-  
pturus. Sed, haec effatus, uehementer commoueor,  
atq; tantus me stupor opprimit, ut me fere suppudeat,  
uerba amplius facere. Nam facilissimo negotio me  
deterrire potuit recordatio tot ac tantorum Viro-  
rum, qui opera, consilio, uirtute, incredibilique  
studio & consensu Academiae subuenierunt, & ad-  
huc subueniunt, qui eandem rerum gestarum am-  
plitudine singulariter ornarunt, & adhuc ornant,  
C qui

qui denique insigni doctrina, quam professi sunt, & adhuc profitentur, sempiternum habent laudis testimonium. Quis ignorat STRUVIOS, quorum profundam eruditionem nulla posteritatis obscurabit oblitio? Quem fugit LYNCKERVS, ICTUS magni nominis, cuius admirabilis quaedam, & incredibilis in legibus interpretandis ac aequitate explicanda scientia nullo tempore silebitur? Quid referam incomparabilem WILDVOGELIVM, cuius memorabilis uirtus insignem reip. lucem attulit? Imo, si praesentem Academiae statum considerem, inuenio tales Viros, qui, sapientissimo electi confilio, doctrina & mira quadam uarietate rerum ac copia praeclare abundant. Sed quis ego? Virium mearum imbecillitatem optime noui, atque lubens profiteor, multa adhuc mihi deesse. Iuuabit tamen, erecto esse animo. Aliorum exemplum me excitat, me inflammat, atque mihi currenti calcar addet. Illud enim praecipue salubre ac frigiferum existit, omnis exempli documenta, in illustri posita monumento, intueri, indeque nobis ac reipublicae, quod imitandum, capere. Singulare ergo mihi duci honori, me talibus adiungi Viris, qui nullas sollicitudines, nullos recusant labores, sed omnia confilia atque facta ad uirtutem, eruditionem & salutem Academiae conferunt, hancque ob causam mortalium fama celebrantur. Hanc contemplatus pulchritudinem, alacriori mente, quantusunque etiam sim, ad spem, de me conceptam, pro uiribus excellendam emitar. Hic erit finis, hic scopus meus,  
sicque

sicque patriam extra patriam in hoc illustri studiorum diuersorio habebo. Iam dudum ante me alii conciues mei, qui uitam Academicam patriae praetulerunt, eodem instituto sunt delectati. Idem illud est, quod breui hoc sermone illustrabo, de *Lubecensem patria, extra patriam in Academiis quaesita, uerba facturus.* Veftra, AVPTORES, frequentia &c alacritatem mihi sumimam dicendi affert, & spem obtinendaе Vestrae benevolentiae. Hoc fiduciae praesidio munitus rogo Vos, PRO-RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VENERANDI PATRES CONSCRIPTI, VOSQUE RELIQVI OMNIVM ORDINVM AVDITORES HONORATISSIMI, ea, qua decet, pietate ac humanitate, ut me, in arte dicendi mediocriter versatum, benigne audiatis.

Ea est mortalium conditio, is status, ut semper illud, quod perfectum ipsis uidetur, appetant, illudque prae reliquis eligere soleant. Ista propensio, praeter alia, efficit, ut quis non solam patriam, sed aliud etiam locum nonnunquam determinet, ubi sedem fortunarum suarum collocare studeat. Utrobique tamen adest patria. Quis enim Vestrum, AVDITORES, ignorat, patriam non modo locum, in quo aliquis natus est, uerum etiam locum, quem aliquis prudenti consilio sibi ipsi elegit, nominari? Sic patria est, ubicunque bene est. Sic patriam habere licet extra patriam. Inprimis multi hanc patriam extra patriam in Academiis quaerunt, singulari in istud uitae genus studio traeti. Quis vero hos reprehendat, aut quis iisdem iure succenseat?

C 2

Sane

Sane Academicum uitae genus tot ac tantas contineat amoenitates, ut easdem lingua uix ac ne uix quidem exprimere possim. Quodsi studiis iam re uera hoc infit, ut adolescentiam alant, senectutem oblectent, secundas res ornent, aduersis per fugium ac solarium praebant, delectent domi, non impeditant foris, pernoctent nobiscum, peregrinentur, rusticentur, cur ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem istum locum, ubi eadem excoluntur studia? Hic sanctioris scientiae praecepta, hic iura populi, hic ars salutaris, hic monumenta maiorum, hic omnis sapientiae ratio, omnisque doctrina cogitantur, dicuntur, litteris mandantur. Hic adest artium seminarium, ex quo, uelut ex equo Traiano, tot uirtute doctrinaque clari prodeunt, qui, longe lateque dissipati, eruditionem per totum diffundunt orbem, atque infinitis rursus hominibus, ne dicam integris rebus publicis prodeesse possunt. Hic verus colligitur honos propter spem futurorum temporum. O praeclaram sedem! o exoptatum domicilium! o illustre habitaculum! Arrisit ista uitae suauitas multis patriae ciuibus, qui, relicta patria, aetatem in Academiis consumserunt. Non loquor de illis, qui ad aliquod tempus in Academiis commorati, deinceps uero aliud officii genus sunt amplexi. Ex horum numero est

ADAMVS TRIBBECHOVIVS,  
Consiliarius Ecclesiasticus Gothanus atque supremus Praeful, siue Superintendens Generalis, Vir summa

summa auctoritate, religione ac fide, qui propter excellentem artem atque uenustatem immortalem uitiae gloriosae memoriam ubique reliquit. Ille, ille est, qui olim in Academia Kiloniensi pracepta morum auctoritate publica docuit, atque post mortem WATSONII simul facultatem historiarum monumenta explicandi obtinuit. Profundam ipsius eruditionem testantur scripta, ab eodem edita, quibus tanta uirtus inest, ut sempiterna sit ipsius memoria. Addo incomparabilem Theologum

MICHAELM SIRICIVM,

in aula Gussotriensi Praeconem Aulicum, & Consilium Ecclesiasticum. Felix fuit Academia Giessensis, ubi primum ipsi ius extra ordinem docendi sacram scientiam datum est; felicior, postea quam ordinaria historiae ecclesiasticae professio ipsi demandata fuit; felicissima denique, cum munus Professoris Theologiae Ordinarii post breve temporis spatium ipsi fuerit oblatum. Eiusdem felicitatis particeps facta est Academia Rostochiensis, quae illum itidem Professorem Theologiae ordinarium uidit, coluit, honorauit. Causa honoris probata est, si merita huius Viri in remp. sacram, quae uel ex solis scriptis, summo indicio elaboratis, apparent, probe consideremus. Tanta eadem sunt, ut illorum ne posteritas quidem omnium seculorum unquam immemor sit exstitura. Venio ad celeberrimum Ictum

ANTONIVM COLERVUM,

reip. patriae Consulem, qui nullum monumentum  
C 3 clarius

clarius relinquere potuit, quam effigiem morum  
fusorum, uirtutis, pietatis, ingenii, doctrinae. Hic  
Vir in hac Alma nostra quondam paelectiones iu-  
ridicas instituit, ac praecipuas iuris quaestiones ad  
uentilandum proposuit, quas deinceps sub nomine  
iurisprudentiae Ifagogicae publici iuris fecit. Taceo

HENRICVM MICHAELIS,

Syndicum Lubecensem, qui primum in Academia  
Gryphiswaldensi in locum eximii ICti, DAVIDIS  
MEVII, Wismarium auocati, surrogatus, deinceps  
in Academia Kiloniensi iura publice docuit,  
atque singularē iuris intelligentiam habuit, ean-  
demque libris, accurate & cogitate scriptis, satis  
superque comprobata dedit. Quid nominem

DANIELEM LIPSTORPIV M,

ICtum inclytum, qui in Academia Upsaliensi per  
integrum decennium iura publice interpretatus est,  
doctissimisque suis ingenii foetibus tam philosophi-  
cis, quam iuridicis, immortalem nominis famam  
sibi acquisiuit? Huc quoque referri meretur

HERMANNVS VLRICVS VON LINGEN,

SERENISSIMI PRINCIPIS Saxo-Gothani Secre-  
tariorius intimus, cuius uita ob insignia in remp. ciu-  
ilem & litterariam merita ad omne memoriā  
erit cominendata. Ipse quondam in splendido hoc  
Musarum palatio litteris ita se consecrauit, ut ele-  
gantiora studia cum rerum diuinarum atque huma-  
narum notitia felicissime coniunxerit, & omnia ad  
communē fructum attulerit. Vestrum, AVDI-  
TORES, habebo consensum. Vobis enim, Vobis,  
inquam,

inquam, ita non Vobis solum, sed uniuerso orbi litterato cognita sunt ipsius scripta, quorum multa hoc loco elegantissime sunt elaborata. Porro huc pertinet.

### HERMANNVS GRVBE,

Physicus Haderslebensis, non artis saltem medicac, uerum elegantiorum quoque litterarum peritissimus, qui in hac Mufarum sede uarias praelctiones, & medicas, & philosophicas, instituit, atque cathedram, scriptis disputandi causa publice propositis, plus uice simplici concedit. Quid dicam de

### IOACHIMO IVNGIO,

Gymnasi Hamburgensis Professore, Viro egregie docto, &c, quod solidae sapientiae apex est, uere pio. Loquatur Academia Giessensis, ubi Mathe- matum Professor est designatus; loquatur Academia Rostochiensis, ubi eandem sustinuit dignita- tem, loquatur Academia Helmstadiensis, ubi munus Professoris Medicinae ornauit; loquantur ipsius scripta, quae firmissimum eruditionis perhibent te- stimonium. Tandem huc refero.

### IOHANNEM KIRCHMANNVM,

Gymnasi Lubecensis Rectorem, uerum illius de- cūs ac ornamentum, in quo ingenium, ratio, me- moria, litteratura, cogitatio, diligentia ad stufo- rem usque fuerunt. Pleni laudis sunt omnes libri, plenae sapientum uoces, ita, ut quicquam addere dubitem. Monebo saltem, hunc Virum in Acade- mia Rostochensi artēm condendi carmina publice docuisse, atque litterarum monumentis, quae reli- quit;

quit, tantam sibi comparasse gloriam, ut fama nec obliuione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum infepulta sit futura. Ad alios festinat oratio, illos scilicet, qui uel omnem uitam, uel ultimum uitiae tempus in Academiis transfegerunt. Utar **Vestra**, **AUDITORES**, benignitate, quoniam me in hoc genere dicendi tam diligenter attenditis, atque pace **Vestra** illos nominabo. Ex ordine Theologorum primum inter eos locum occupat

**BARTOLDVS BOTSACCVS,**

Vir nobilitate familiae ac doctrinae clarus, qui maximis laboribus ad summam laudem gloriamque contendit. Iuuenis adhuc docendo atque disputando ita se exercuit, ut dignus uideretur, cui Giesenses munus Ecclesiastae, ac post aliquod temporis spatium Brunswicenses munus Pastoris & Praefulvis conferrent. Fama huius Viri nouum ipse parabat honorem, quo in Academia Hafniensi Theologiae Professor bonorum omnium plausu est renunciatus. Impressae cura ipsius litterae uirtutis sempiternae sunt testes. Nunquam de illo, qui has aut uidebit, aut audiet, gratissimus sermo conticescat. Eandem eodem loco dignitatem obtinuit

**HENRICVS DVRKOP,**

Summus Theologus, quem primum Lubecenses templi Iacobaei Symmistam coluerunt, deinceps Hafnienses receperunt, in quorum Academia Professor Catecheseos publicus est constitutus. Ingenium & uirtutem in scribendo admirabitur, qui libros,

bros, ab eodem summis uigiliis compositos, euoluit. Prodeat

**AVGVSTVS HERMANNVS FRANCKE,**  
Vir summa religione, integritate ac fide, qui in Halensi Academia primum officium Professoris linguarum Orientalium, deinceps munus Professoris Theologiae sustinuit, multosque libros, in uulgo notos, reliquit. Varios meditabatur, quid perficiebat conatus, quibus se multis ita commendavit, ut summi, medii, infimi, ciues, peregrini ipsum praecipue atque insigniter amarent. Singularēm prae multis fauorem iure summo expertus est

**IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS,**  
cui, absolutis studiis Academicis, perfectisque itineribus, in Academia Rostochiensi minus sanctiorem doctrinam profitendi felici successu est delatum. Nomen huius Viri longe lateque uagabatur, adeo, ut ab exteris anxie desideratus, mox in Academiam Dorpatensem, mox in Academiam Vitembergensem uocatus fuerit. Summa uero Principis gratia commotus Rostochii permanxit, ibidemque uitam cum morte commutauit. Dolebat isto uulnere, & merito dolebat Academia, in cuius salute omnes uigilias, curas, cogitationes defixit; dolebat studiosa iuuentus, cui labore, studiisque suis semper aliquid utilitatis attulit; dolebant omnes eruditii, qui ex ipsius nitide elucubratis scriptis satis superque cognoverunt, Nostrum in sanctioris disciplinae studio.

D

pari-

pariter ac in aliis artibus atque scientiis non mediocriter esse uersatum. Addo

IOHANNEM LAVENTIVM MOSHEIMIVM, magnum sane, & cum paucis comparandum Theologum, qui in Academia Helmstadiensi munus Professoris Theologiae ad hunc usque diem summa cum laude ornat. Aeternum laudis dant testimonium scripta ipsius, quippe quae profundam eruditionem sacramque eloquentiam satis superque declarant. Ipse in commodum litterarum diu, imo diutissime rebus humanis interfit. Hoc ego, hoc omnes, Musis fauentes, mecum optant, Inter ICtos primo loco

IOHANNEM FESTINGIVM nomino, cuius fama nunquam filebitur. Is est, cui summi honores in Academia Rostochiensi parati sunt. Fuit Pandectarum Professor Publicus, dignitatem Consiliarii Serenissimi Ducis Suerino-Megapolitani obtinuit, atque in Ducali Consistorio sedem impetravit. Recordemur illos honores, ponamus ante oculos scripta Viri, quae luceulta haud vulgaris eruditionis documenta produnt, conferamus ea omnia cum instituto uitiae genere, quo uigilauit, semperque aliquid pro rep. aut fecit, aut dixit, tum intelligemus, FESTINGIVM fuisse ICrum, & foris clarum, & domi admirandum. Hunc excipiat

ANTONIUS DANIEL SONNEMANNVS, Vir bonus & rep. dignus, qui facultatem ius in Academia Viadrina extra ordinem docendi consecu-

secutus, utilitatem Academicæ iuuentutis concipiuit. Hoc unum uoluit, in id incubuit. Hinc praedicatione omnium, quorum aures ipsius praeceptis monitisque patuerunt, nomen gloriosissimi facti audiuist. Quid scripta eius commemorem, quae cunctis legentibus ob singularem elegantiam non possunt non esse gratissima? Ad Te,

IOHANNES WERLHOFI,

nunc uenio, cuius laudes neutquam praetermittere possum. Te intuens fateri cogor, Te Academiae Helmstadiensis decus fuisse ac ornamentum. Vix ex pueris excesseras, cum animum atque mentem ad solidam scientiam Tibi acquirendam unice conformares. Absoluto studiorum cursu, patriam quidem repetebas, sed eadem, Tibi mihiique coniunctissima, plus una Te nocte cupiens, atque publicum munus offerens, Te retinere non potuit. Iulia placebat; Iuliae inseruire studebas. Ex uoto res successit feliciter, postea quam primum in locum magni CONRINGII surrogatus, facultatem res ciuiles docendi, & post lapsum decennii ius explicandi scientiam iusti atque iniusti, cunctis applauidentibus, impetraisti. Neque Tibi aut studium, aut cura defuit in tanto officio, tantoque munere. Heu! quoties cathedram descendisti publicam, quoties studiosam iuuentutem rebus optimis instituisti, quoties sermones & consilia cum aliquo contulisti, tories omnes attoniti profundam eruditionem tuam sunt

D 2

admi-

admirati. Quis nitor? quod acumen? quae scientia productis ingenii foetibus non ineſt? Hinc iucunda uitiae glorioſae laus, quae Tibi iure meritoque debetur. Quae enim tam immemor posteritas, quae tam ingratae reperientur litterae, quae gloriam tuam non immortalitatis memoria proſequantur? Ipſe confirmo, nunquam a me mentionem de Te, niſi honorificam, niſi plenam maximi desiderii. Quantam inter ICtos WERLHOFIVS, tantam inter Medicos, Historicos & Poetas in eadem Iulia ſibi conciliauit gloriam ipſius auunculus,

HENRICVS MEIBOMIVS,  
non modo Medicinae, uerum etiam Historiarum  
ac Poeseos Professor publice renunciatus. Sum-  
mo etiam studio p̄aeclara huius Viri acta defen-  
do, cum ipſe nunquam ab optimarum artium stu-  
diis & disciplina abhoruerit, ſed animum potius  
doctrina diligenter excoluerit. Fateor, MEIBO-  
MIVM excellentem fuſſe Medicum; etiam illud  
adiungo, ipſum antiquitatis atque rerum gesta-  
rum fuſſe peritum, imo peritissimum; atque idem  
ego contendō, Noſtrum in arte poetica magnum  
habuisse uſum. Sic perspicio; ſic iudico. Neque  
aliter ſentietis, AUDITORES, quibus ſcripta Viri  
probe cognita ſunt atque perſpecta. Eadem, at-  
que inter haec uel unicus rerum Germanicarum  
liber, nomen ſuum ita ornant, ut ipſe iam du-  
dum immortalitatem fuerit consecutus.

Habe-

Habetis, AUDITORES, Viros, multis in  
remp. sacram, ciuilem & litterariam meritis in-  
signes, qui, Lubecae nati, loco nobili atque ce-  
lebri, patriam extra patriam in Academiis qua-  
suerunt. Haberetis plures, nisi, temporis angu-  
stia coactus, iis recensendis prudens consultoque  
super sedere. Veniam dabitis, si prius, quam  
finem differendi faciam, ea, quae officii ratio  
exigit, persoluam. Singulari diuini NVMINIS  
prudentia factum est, ut SERENISSIMI Al-  
mae huius Matris CONSERVATORES, DO-  
MINI Mei clementissimi, ad hanc illustrem Mu-  
tarum fedem me, nec cogitantem, nec opinan-  
tem quidem, uocauerint, atque munus iura hoc  
loco profitendi benignissime mihi delegarint. Est  
fidei, pietatisque meae, publice declarare, quam  
memor sim huius rei, quam gratis.

Ante omnia TIBI, Summe DEVVS, Optime  
rerum Moderator, TIBI, inquam, maximas debeo  
gratias. TV me a primis annis ad hunc usque di-  
em mirifice conseruasti, TV innumeris me indi-  
gnum cumulaasti beneficiis, TV omnes aduersos ca-  
sus propulsasti, &, si qui adfuerint, uel saltem mihi  
tales uisi fuerint, ad bonum atque exoptatum fi-  
nem direxisti, TV litteris meis prosperos dedi-  
sti successus. TIBI uitam, TIBI honores, TI-  
BI omnia accepta referre debeo. Accipe, Fons  
omnium bonorum, pro tot tantisque beneficiis  
gratam mentem, quae laudes TVAS dies no-  
tesque pia integritate praedicabit. Velis etiam,

D 3

Pater

Pater Omnipotens, per futurum tempus Tuam mihi gratiam exhibere, atque animi corporisque vires ad munera obeunda clementissime largiri. Mitte, quaeſo, coelitus diuinam sapientiam, qua praecepta iustitiae rite proponere atque obuenientes in iudiciis casus, remoto omni affectu, secundum religionem recte diiudicare possum. Auertere omnes calamitates, studiorum impedimenta, & fac, ut omnia in T VI ipsius gloria, proximique salutem cedant. Ipſe me, meaque omnia TIBI committo, nomen TVVM fine fine laudaturus.

Post DEVM supplex me ad pedes SERENISSIMORVM huius Academiae CONSERVATORVM, DOMINORVM Meorum clementissimorum, abiicio. IPSI, qui pro salute Academiae consilio ac labore in sempiternam uigilant memoriam, potestatem ueniendi in hunc locum mihi clementissime dederunt, atque dignitatis meae fautores fuerunt. Grata hanc SERENISSIMORVM PRINCIPVM gratiam prosequor memoria, nomenque do, me nunquam huius singulari benignitate concessi praesidii esse obliturum. Utinam maiora possem, quandoquidem a PATRIAЕ PATRIBVS INDVLGENTISSLIMIS maiora accepi. Seruet DEVS immortalis SERENISSIMOS huius Uniuersitatis NVTRITORES ad seram usque posteritatem saluos, sospites atque incolumes, quibus saluis, respublica salua erit, salua erit Academia, salua studia. Dum genus hominum, dum populi

puli Germani exstabat nomen, quod quidem erit  
fempiternum, nominetur integrā DOMVS SA-  
XONICA, ILLIVSque gloria. Serua, aeterne  
DEVS, inprimis RECTORREM Academiae  
MAGNIFICENTISSIMVM, SERENISSI-  
MVM PRINCIPEM ac DOMINVM DO-  
MINVM ERNESTVM AVGVSTVM,  
DOMINVM Meum clementissimum, EVN-  
DE Mque cum SERENISSIMA DOMO diutis-  
sime serua, & fac, ut IPSE, omnibus prosperitatis  
generibus cumulatus, ex uoto ac fententia feliciter  
uiuat.

PRO-RECTOR Academiae MAGNIFI-  
CE, VENERANDI PATRES CON-  
SCRIPTI, Vobis, Vobis, inquam, tantam ha-  
beo gratiam, quantam maximam animus meus  
capere potest, quod me aduenientem singulari  
Vestro fauore excipere, atque in amplissimo Or-  
dine Vestro locum mihi concedere non dedi-  
gnati fueritis. Sincera mente precor, ut perpe-  
tua felicitatis lux Vobis omnibus atque singulis,  
Vestrisque splendidissimis familiis affulget. Ve-  
strum patrocinium, fauorem atque beneullen-  
tiā per futurum quoque tempus ita a Vobis pe-  
to, ut maiore studio, magisue ex animo petere  
non possim. Ipse non intermittam, debitum ho-  
noris cultum Vobis omnibus singulari obseruan-  
tia deferre. Huius diei uocem testem relinquo  
perpetuae meae erga Vos uoluntatis.

Venio

Venio iam ad amores, deliciasque meas. TE,  
suauissima litteratissimorum iuuenum cohors, in-  
telligo. Vos estis, quos singulariter in oculis  
fero, & pro quibus excubare atque uigilare sum-  
mum mihi gaudium, summa uoluptas. Audebo  
obligare fidem meam, me nullam omisurum oc-  
casione, qua Vobis, Vestrisque studiis ullo mo-  
do, ullaue ratione inferire possim. Offero Vo-  
bis mea qualiacunque officia, plena humanitatis  
atque benevolentiae. Vestra commoda mihi sem-  
per curae cordique fore, hodierna die promitto,  
recipio, spondeo. Accipite, o Mei, hoc pro-  
missum integrum ac honestum, meque uicissim  
Vestro amore dignum iudicate.

Quod reliquum est, florent studia, ac in-  
primis noua quotidie incrementa capiat Academia  
nostra, omnium doctrinarum altrix, communis  
omnium gentium magistra. Hoc ego, hoc omnes,  
reipublicae huic litterariae bene cupientes,  
me cum ingenu optabunt.

### D I X L



**ULB Halle**

005 039 770

3





B.I.G.



HENRICI BROKES  
IVRIVM DOCTORIS AC PROF. PVBL. ORDIN.  
NEC NON SCABINATVS ASSESSORIS

1743/2  
3  
ORATIO IN AVGVRALIS  
DE  
LVBECENSIVM PATRIA  
EXTRA PATRIAM  
IN ACADEMIIS QVAESITA

EIDEM QVE  
PRAEMISSVM PROGRAMMA  
DE

IVRE POSTLIMITINII HOSTIBVS  
DEDITO ET IN PATRIAM REDE-  
VNTI NON COMPETENTE

CVM  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM  
PROFESSIONEM IVRIS

IN  
ACADEMIA IENENSI  
D. XXIII. DEC. c15 15 cc XLIII.  
AGGREDERETVR.

IENAE,  
LITTERIS HORNIANIS.

